

Franckesche Stiftungen zu Halle

Vita Pauli Antonii Theologi Halensis

Callenberg, Johann Heinrich

Halae, MDCCXLI.

VD18 12474592

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200876](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200876)





65 H 8

65 H 8

14933

Contenta.

1. Vita Pauli Antonii
2. Vita Jo. Dan. Herrnschmidii.
3. Vitae Vockerodti Illustramenta. (imperf.)
4. Doctorum Scholasticorum Suscitator ex
Vockerodtiano exemplo. p. 1-12. (marca plus.)
5. Anisgopsaß. Suppl. M. 1.
6. Varschiger Gesangs- u. Dirinaur.
7. Nachriß von Judothaußer N. Eosaurus.
8. Commentatio de Septuaginta exegetico.
9. Coment. de Sept. exeg. Supplementum II.
10. Coment. de Officiis Prof. Theolog.
11. Oratio saecularis de Ernesto pio.
12. Consilium de vniuersae ecclesiae
salute procuranda.
13. Narratio de Hist. ecclesiastica Halensi.
14. Epistola circa particulas hist. eccl.
15. Programma de Christiano Prof. Philo-
sophiae officio.
16. Exoticarum linguarum usus et praesidia.
17. Ecclesiarum exoticarum monumenta
historica.
18. Observationes variae. Particula I - VII.
19. Initia sacrificiorum
20. Regionum exoticarum historica mo-
numenta
21. Futuraß vinct Collegii nro S. Historie
Dr. Golafßer.

22. Repertorium Judaicum. Specimen VIII.
23. Repert. literarium topicum.
24. Repert. liter. miscellaneum.
25. Jüdischer Wörterbuch.
26. Kurze Anleitung zur Jüdischen Sprache.
27. a. Rufini M. historia doctrinae de nativitate Jesu Christi.
27. b. Eiod. narratio. de sacris publicis Christianorum Sec. II.
28. Historia Jesu Christi Muhammedica.
29. de Muhammedanorum conversione.
30. Specimen Bibliothecae Arabicae.
31. Colloquium Muhammedani et Christiani.
32. Specimen indicis rerum ad literaturam arabicam pertinentium.
33. Spicilegium instituti Muhammedici monumentis subseruiens.
34. Iuris circa Christianos Muhammedici particulae.
35. Miscellanea res Muhammedicas complectentia.
36. Exercitationes in rebus Muhammedicis occupatae.
37. de aperiendis inter Barbaras gentes scholis dissertatiuncula.
38. Loci Codicum arabicorum de iure circa Christianos Muhammedicos. p. I - III.
39. Colloquia arabica idiomatis vulgaris. Particula I. II.

VITA
PAULI
ANTONII


THEOLOGI HALENSIS.

SCRIPTORE

JO. HENR. CALLENBERGIO.

HALAE

In Typographia Instituti Judaici
MDCCXLI.




VITA
PAULI
ANTONII

THEOLOG. HALLEN.

SECRETOR.
JO. HENR. CALIST. BERGII.

HALLE
in Typographia Joh. Calisti Bergii
MDCCXXI.





§. I.

VIta functus, (*) exantlatis diuturni gravissimique muneris laboribus, in æternam secessit requiem Doctor Theologus, Paulus Antonius, salutare academix nostræ fidus, atque còlumen ecclesiæ evangelicæ,

A 2

cui

(*) *Academix Fridericianæ nomine anno
elc lo cc xxx. a me hæc scriptio composita
est, editaque hoc titulo : "Monumen-
tum sacrum memoriæ Theologi, de
"Academia Fridericianæ & universæ ec-
"clesiæ evangelicæ optime meriti, viri
"summe reverendi & excellentissimi,
"Pauli Antonii, S. S. Theologiæ Docto-
"ris & Professoris ordinarii, Consistorii
"Magdeburgici consilarii, & primæ Sa-
"lanæ diœceseos inspectoris, anno æra-
"tis LXX. die XX. octobris hujus
"elc lo cc xxx. anni beate defuncti, die
"xxix. octobris, celebrandis exequiis
"ejus*

cui ultra XL. annos, sicut illi octo amplius lustris, pura doctrina & apostolica vitæ exemplo servivit. Quam nos fecerimus iacturam, intelligimus quidem omnes, quotquot suam religioni integritatem, suam ecclesiæ faciem, suumque academici christianæ decus præsidiumque constare cupimus: sensum tamen orti inde doloris dignis tanto viro lamentis prodere dubitamus; veriti, ne accepti ac tam diu nobis relictæ beneficii divini magnitudinem ingrati obscurare, ac invidere illi videamur, quod sub senectutis finem, antequam omnia decrepitæ ætatis expertus fuerit incommoda, plena hac miseriarum valle excesserit, in beatorum sedem translatus. Indignum autem foret, tacite a nobis ejus spectari abitum, nec consecrari memoriam tam rari exempli; præsertim cum & hoc quorundam olim infestaverit malevolentia, neque nunc passura, ut integer ejus splendor, sanctaque vis, ad posteros propagetur. Publicæ igitur vocis nostræ auctoritate, eaque fide,

quam

"ejus destinato, doloris amorisque re-
 "standi causa, ponit Academiæ Frid-
 "ricianæ Senatus, interprete ejusdem h. t.
 "Prorectore, D. Joachimo Langio, S. S.
 "Theol. Professore ordinario. Halæ
 "Magdcburgicæ, litteris Hilligerianis,
 "anno clb cc xxx.

quam mandati muneris sacramentum tribuit, beati viri, veri theologi, spectatam inter nos indolem, insigniaque merita, religiose munita, obsignataque, posteritati commendamus; eo utentes sermonis genere, quod veritatem decet, atque piam & amabilem defuncti simplicitatem. Quod antequam exsequamur, de ejus ortu, præparatione ad sacrum munus, hujusque peracta in aliis locis functione, priusquam nostræ datus est urbi, præfabimur.

§. II.

Patriam habuit Zittaviensis tractus oppidulum, Hirschfeldam, ubi anno MDLXI. die XXI. Febr. natus est parentibus optimæ famæ, patre Joanne, mercatore, matre Elisabetha Schwartzbachia. Scholam admodum puer sua sponte magna cum voluptate adiit, quod, uti & alia quædam documenta, quæ noster modestè reticuit, parentes singulariter in animo ejus operantis Numinis indicium sunt interpretati. Unde procul dubio commoti sunt, ut, domicilio Zittaviæ constituto, Lycei, quod ibi floret, præceptoribus, Rectori inprimis, Christophoro Vogelio, in cujus locum, nostro etiamnum præsentè, successit Christianus Weisus, decennem filium traderint, Latinis litteris, aliisque linguis, & utilibus artibus excolendum. Inter pauca momenta vitæ ejus, quæ ipse conscripsit, hoc est: se recordari, quod tum a patre per sa-

cram D. Joannis ædem, cujus interdiu pateant fores, ad Rectorem traductus, & in hoc transitu illius precibus, atque injecta in ærarii ecclesiastici arcam stipe, Deo fuerit consecratus. Quam simplicem pietatem Numini, sui cupida, sinceraque menti tam propitio, placuisse, successus probavit. Exegit sub hac disciplina novem annos, industria spectatus atque progressibus, qui ei urbanæ curiæ anti-stium favorem, socordium vero condiscipulorum peperere invidiam atque insectationem.

§. III.

Absoluto curriculo scholastico, sub quo animum ejus a solennibus corruptelis singulari Dei munere intactum mansisse plura non obscure arguunt indicia, ante academiæ aditum in solo genitali pro concione de vera patria dixit, delatusque in hujus sermonis præparatione ad meditationem verborum Servatoris: "illud certo certoque sic habeto, quum juvenis esses, cingebas ipse te, & ibas, quom volebas; sed ubi senueris, extends tuas manus, & alius te cingat, ducetque, quom nō les: (*) mirifice fuit commotus, animoque ipsius tam alte ea verba fuerunt inpressa, quemadmodum ipse adnotavit, ut non solum florentioris ætatis alacritatem iis a licentia, levitateque prohiberi passus sit, sed per totam quo-

(*) Joh. XXI, 18.

quoque vitam ex præsentissima illorum recorde-
datione magnam ceperit vtilitatem, ac ad sa-
lutarem eorum usum sæpe alios quoque fuerit
adhortatus. Idem quoque observavit de
verbis, in eodem sermone commemoratis :
"Deus, tu me a pueris docuisti. (*)

§. IV.

Animo ita obfirmato adversus licentiæ
academicæ illecebras, Lipsiam petiit, septem-
que annorum spatio philologiæ, philosophiæ,
theologiæ atque historiæ litterariæ sedulam
navavit operam, Mæcenatem adeptus magnæ
eruditionis virum, Ottonem Menckenum,
cujus favor dissertatione, quam noster, ma-
gistri titulum, aliorum hortatu, pro more
ambiens, de Epicteti philosophia edidit, &
sequuta disputationem scientiæ philosophicæ
exploratione solenni, conciliatus, retentus-
que fuit fida sobolis ejus institutione, ac par-
ticipatione impendendæ Actis eruditorum
conscribendis operæ, aliusque litterarii labo-
ris : quem evergeta cum aliis modis, tum hoc
pacto compensavit, ut nostro, factæ sui com-
mendationis in scio, ad vacantem in sic dicto
majori principum collegio beneficiarii locum
mature patefecerit aditum, postquam D.
Scherzerus, qui illum tenuerat, vita excessis-
set.

§. V.

(*) Psalm. LXXI, 17.

§. V.

Jam circumspiciemus, ipso monstratore, vestigia divinæ providentiæ, pedetentim ipsum porro deducens in cœlestis sapientiæ viam, summo, quæ ex transverso objecta sunt, impedimentis. In ipso studii academici limine nactus est fidelem monitorem, Andream Glauchium, ecclesiæ ministrum, qui ei auctor fuit, ut theologiæ studium sine ulla mora cum philosophiæ linguarumque tractatione conjungeret: cum illo tempore plurimi, ommissa theologia, usque ad curriculi academici ultimos passus, profane soliti essent philosophari.

§. VI.

Præclarum consilium sequuti propositum primo statim anno everti videbatur, cum, ingruente pestilentia lue, Lipsiam relinquere, & cum commilitone in Hennebergicæ ditioris vicum confugere cogeretur: sed sapientissimus Deus ipsum in hoc secessu propius in rectam viam directurus erat. Relicto enim apparatu litterario, sola secum abstulerat Biblia sacra, quibus legendis maximam otii illius pene annui consumpsit partem; quæ quidem lectio ei deinceps multum profuit, ex quo salutariter usurpandi divini verbi ratio clarius ei patuit. Incidit etiam in B. Speneri sermonem, typis exscriptum, de causis salutis, æternique exitii: quem cum eo fine legere

gere aggressus esset, ut videret, an concionator iste Logices observasset præceptiones, non solum has accuratissime adhibitas reperit, sed pudore quoque suffusus, proposita ibi veritatis vim animo vehementer sensit. Confirmatus autem fuit, auctusque sensus ille, propositis a doctore quodam ecclesiastico quæstionibus, quibus innotuit, quantum salutaris rerum divinarum cognitio ab historica distet: eique incitamento fuit, ut inposterum omnes Dominicæ diei horas, quæ a publicis sacris vacuæ essent, divini codicis, librorumque asceticorum lectioni impendendi consilium ceperit: quod postea etiam constanter fecit, post verbi prophetici apostolice thesaurum adhibendo inprimis Speneri libellos.

VII.

Hoc tramite perrexit usque ad annum MDCLXXXVI, quo cum M. Aug. Herm. Franckio, cum quo deinceps in nostra academia opus Dominicum conjunctissime tractavit, biblicas exercitationes, collegii philobibliæ nomine insignitas, theologici ordinis consensu, in illam academiam introduxit: de quo instituto cum jam peculiare publicatæ sint narrationes, non est, quod ei fusius delineando immoremur. Hoc commemorasse sufficiet, beatum sæpe factum, ab illo tempore se veram mentis expertum esse mutationem,

B

&c

& gustasse cœleste donum, præclareque Dei dicta.

VIII.

Haftenus de ea præparatione, qua ille formatus fuit ad publicum ecclesiæ ministerium; jam, quomodo hoc demandatum, obitumque fuerit, exponemus. Prima ei publice nunciandæ doctrinæ evangelicæ occasio anno MDCLXXXVII. vere adulto obtigit apud Serenissimum Saxoniae electoralis Principem, itinera facientem per Galliam, Hispaniam, Lusitaniam atque Italiam. Amplissimus de actis itineris dicturo aperiretur campus, sed reliqua dicendorum copia illum ingredi prohibet; spem tamen facimus, ex commentario, quem ipse de his rebus scripsit, quædam in posterum iri publicatum. In præsentī hoc tantum observamus, eum & Principis comitumque, & universalis ecclesiæ, cujus curam quasi initiari videbatur, prudenter & pie habuisse rationem; in hac scrutatum corruptelas, earum firmamenta, veritati evangelicæ adversantes opiniones, animo antecaptas, malo medendi modos, relicta in densissimis errorum tenebris veræ doctrinæ semina: ubi potuit, instillasse cupidis mentibus rectum de Deo salutisque ordine sensum; nec iis neglectis, qui barbaræ superstitionis sæditate, superbia, ambitaque peccandi licentia ad omnis religionis contemtionem fuerant proveci:
&

&, ut paucis omnia complectamur, pii theologi & sapientis litteratoris gessisse personam, ita tamen, ut, ubi utriusque non posset, illius potius, quam hujus impleret partes, vitata peregrinæ vanitatis, levitatisque disciplina, externi decoris frigida affectatione, & laxior, licentiusque de religione sentiendi arrogantia, vulgaribus illis peregrinatorum nostrorum emolumentis, seu potius detrimentis ac pestibus, quas domum referre solent.

IX.

Progresso vere anni MDCLXXXIX. ex itinere Dresdam reversus Rochlicensi diœcesi, prope Lipsiam sitæ, antistes præficietur, simul ejus cœtum urbanum pastoris titulo in viride evangelii pascuum jussus deducere. Cujus muneris aditum cum certa impedimenta remorarentur, aliud interea, Numine rem ita dirigente, ingressus est curriculum, quod licet brevi spatio circumscriptum fuerit, fructus tamen peperit æternos. Etenim hanc etiam temporis particulam, quam alioqui refocillando post tot toleratas molestias corpori concessam potuisset credere, utiliter locaturus, Lipsiam profectus, interfuit notabili illi rei academicæ conversioni, qua sub Franckiano ductu magnus theologiæ studiosorum cœtus non solum ad curatiorem verbi divini tractationem, sed etiam ad obsequium perceptæ ex illo veritatis traducebatur. Aderat noster,

non otiosus spectator, sed cum nonnullis aliis philosophiæ sobriæ magistris insignis salutaris incepti adjutor, amplificatorque, frequentans exercitationem, cui collegii philobiblici nomen datum est, & alias insuper instituens prælectiones, quibus Joannis evangelica historia, prima Pauli ad Timotheum scripta epistola, & Hoseæ pericope illustrata fuerunt. Duce Joanne præformata, infidentiaque in Phariseorum animis judicia exposuit, quibus illi ad Christo adversandum provocati sunt; docuitque, iisdem non solum pontificios ab ecclesiæ nostræ doctrina, sed evangelicos quoque subinde a sanctiore ejusdem doctrinæ usû avocari. Epistolæ Paulinæ explicatione tradebatur, quænam esset legitima ad functionem ecclesiasticam præparatio, quibus notis genuinus ejus a falso dignosceretur candidatus, ac quomodo illa religiose administraretur. Hoseæ capitis primi verba ultima: "Erunt Israelitæ numero pares arenæ maris
"immensæ ac innumerabili: ac pro eo, quod
"negati fuerint meus esse populus, dicentur
"viventis Dei filii, congregatique eodem Judæi ac Israelitæ caput unum sibi constituent,
"& ex terra proficiantur: tanta est lezraelitica dies: publice explanare jubebatur, cum, quorundam aulæ procerum hortatu, docendæ theologiæ licentiam ritu antiquo peteret. Propositum vero ei hoc maxime fuit in his prælectionibus.

lectionibus, ut abductos a juvenilibus cupiditatibus auditorum animos ad seriam rerum cœlestium curam converteret, ut, purgati ab infructuosis operibus, habiles efficerentur, qui pura conscientia fidei comprehenderent mysterium: id quod etiam in pluribus est consequutus.

§. X.

Si sincere fateri volumus, quod res est, ab illo tempore numerosior piorum doctorum cohors ecclesiæ dari cœpit, qui summa omnium virium contentione veram fidei indolem, originem atque efficaciam hominibus ob oculos posuerunt, atque passim plures dicto audientes nacti sunt: & hoc opus in hunc diem perstitit, necquicquam ringente caco-dæmone, atque varias sæpe, sed frustra, conante illi immiscere corruptelas. Maximam tum Franckio, Antonioque invidiam movit, tristesque concitavit motus, quod ævo Lutheri in eadem academia factum Petrus Mosellanus refert, anno crioxxx. iiii. Id. Nov. his verbis Conrado Mutiano scribens: "tota juven-tus in sacrosanctarum litterarum studia pro-na fertur. Ipsum adeo me, certe non opti-mum præceptorem, Paulinas epistolas inter-pretantem, audiunt plus minus trecenti. Vi-de quanta rerum vicissitudo! Olim hæ lit-teræ, ut jejunæ, sordebant omnibus: nunc, cæteris rejectis, hæ solæ placent. Rejectionem

nem autem aliorum studiorum, præsertim philosophiæ, adeo nostri non inculcarunt suis, ut eis potius illa recte tractandi usurpandique monstraverint viam: verum unum alterumque stomachosior imprudenter eoque neglecti studii præcipui pœnitentia justo longius provexit.

§. XI.

Lipfia, quinque circiter mensibus ibi exatis, digressurus, vitæ adscivit sociam, virginem nobilissimam, atque veræ pietatis imaginem, Joannam Elisabetham, Joannis Olearii, professoris theologiæ, filiam, natu maximam, cujus suavi, castoque consortio usque ad vitæ exitum ei magnum multarum miseriarum, quibus scateret vivendi tempus, Deus propitius præbuit levamentum.

§. XII.

Quum Rochlizam venisset, utramque provinciam, tam antistitis, quam ecclesiastæ urbani, singulari cum dexteritate ac fide obiit, omnia agens ex divini verbi præscripto, & secundum statutorum ecclesiasticorum normam; cui in quibusdam vim amissam restituit, præsertim in proscribendis spectaculis, paganae proterviæ ferociæque reliquiis, & ebrietas lasciviæque illecebris, quas socordia, quæstusque contra legem in cauponas introduci siverat. In procurando grege, sibi singulariter concredito, consuetum laborem non tantum

rum sine fastidio peregit, sed novas quoque utiliter operandi occasiones, ubi offerebantur, studiose arripuit. Statis diebus populares habuit orationes verbis planis & simplicibus, ut a plebe intelligeretur; catecheticas quoque juventutis institutiones, in reliqua Saxonia non minus, quam in hac urbe, Speneri consilio non ita pridem inchoatas, quas solis permittere collegis licuisset, ipse in se suscepit. Haud diu concessa illa usus fuerat opportunitate, cum aliam suppeditarent quidam dioceseos istius ecclesiastæ, conquesti de abrepta a plurimis sacra cœna in impiæ securitatis corroboramentum, ejusque expetentes consilium de profiganda hominum ignorantia, ex qua profanus sacramenti abusus proficisci, vel illa saltem roborari videbatur. Variis commemoratis remediis, addidit, se certo cujusvis hebdomadis die modo catechetico juniores publice eruditurum de pœnitentia, sacra cœna, & sancto ejus usu; quod omnium assensu approbatum fuit. Frequentes huic exercitationi interfuerunt cives, quorum liberi, lactis hujus evangelici dulcedine pellecti, primum finita hac institutione, deinde quoque post publica diei Dominicæ sacra, ad doctoris sui ædes privatim confluerunt, ac si publice non satiati fuissent. Misertus ille teneri gregis, cum legendæ divinæ scripturæ modum, tum alia, quæ huic ætati convenientissima

tissima visa sunt, docuit. Liberorum studio mox parentum quoque & aliorum civium inflammati sunt animi, ut ipsi illos comitarentur. Unde arctior animorum nata est conjunctio, quæ illi plurium civium domos reclusit, atque occasionem tribuit illorum recognoscendi statum domesticum, ostendendique rationem, qua is possit emendari. Hæc in summa gerebantur tranquillitate; quam vero tandem quodammodo turbavit Lipsiense odium, calumniis deturpans ista auditorum studia, ipsosque in sectarii nominis pertrahens societatem. Qua contumelia infirmæ mentes perterritæ suspectam domum tantisper sibi vitandam putarunt, donec nebula hæc transiret; sed antequam reverti possent, illi, absoluto triennio, circa finem anni ciro cxcii. migrandum fuit, vocatu Serenissimi Principis Isenacensis, Jo. Georgii, a quo consiliarius ecclesiasticus, & aulicus verbi divini præco constitutus fuit.

§. XIII.

Et in hac statione pene triennium transegit, præsentissimum saepe Dei expertus auxilium, principe semper favente doctrinæ candoreque ejus, quanquam criminationes pluribus libellis famosis contra ipsum passim vulgarentur. Serenissima principis Conjux, Sophia Carolina, propositæ per ipsum veritatis pietatisque disciplinæ ita se tradidit, ut, illo
in

in nostram academiam translato, vidua facta, ejus porro audiendi causa, per integrum annum in hac urbe fuerit commorata, & sede sua Alstediae stabilita, eo evocaverit, ipsum, quoties accessura erat ad sacram cenam. Aliis insuper fructibus Ilenacensis functio beata fuit, cum Serenissimi Heri aures submissis ejus monitis consiliisque paterent: quo pertinet, ut unum exempli gratia subjiciamus, quod in summa inopia & caritate rei frumentariae pauperibus impetraverit desertum monasterium, quod in orphanotropheum conversum fuit. Inprimis autem salutarem ecclesiae operam praestitit, cum inter celsissimos Saxoniae principes Ernestinae stirpis in commune deliberaretur, quo pacto recens ortae de religione controversiae essent componendae, ne in novas sectas ecclesia nostra scinderetur, nec doctrina caperet detrimentum. Tandem, fide ejus circa particulares ecclesias satis probata, ac sub ea magno viarum Dominicarum usu comparato, ei tradendus loco erat Paulus ille noster, genuinus Pauli, Apostoli, filius, in quo ecclesiae universali inservire debebat, cuique altera vitae ejus dimidiata pars erat destinata. Pervenit scilicet superioris saeculi anno quinto supra nonagesimum in nostram urbem, vocatus academiae Fridericianae professor theologiae ordinarius, & curiae sacrae, cui provincia Magdeburgica subiecta est, consiliarius.

Anno ciro exciix. doctor theologiæ renunciatus fuit, sæculi vero nostri nono anno primæ diœceseos Salanæ inspector. Bis academiæ regimen apud ipsum fuit, fuissetque pluries, cognita ejus sapientia, nisi eum senectutis imbecillitas onus detrectare jussisset.

§. XIV.

Jam quas dotes, virtutes, agendique rationes in ipso coram spectaverimus, dicendum; quo sincerum nostrum de magno hoc viro testimonium continebitur. Pluribus vero omiſſis, quæ potiora videbuntur, tantummodo commemorabimus. Summa pollebat judicandi facultate; sensa mentis concise ponderosis verbis exprimere ei proprium erat; a natura quoque proclivis videbatur ad moderationem animi, gravitatemque, sed quadam comitate permixtam. Ad has facultates, propensionesque accessit studiorum cultura, ac christianæ gratiæ efficacia; quibus subsidiis illæ mirifice perfectæ ornatæque fuerunt. Intruentes præclarum scientiæ apparatus, industria ejus opeque divina acquisitum, peritissimum eum reperimus omnium theologiæ partium, atque ancillantium illi præsidiorum. Quod ad omnis sanctioris cognitionis fontem, sacras scripturas, attinet, ipsum in hauriendis sensibus ejus profundissimis excellere vidimus: concatenatam dogmatum seriem, majorum nostrorum studiose exquisitis loquendi

quendi formulis conscriptam, probe tenuit; publicas ecclesiæ nostræ confessiones haud vulgari studio sibi reddiderat familiares, ut ita collectum ex illis succi plenum doctrinæ corpus animo circumferret. In controversiis vero, & in historia ita erat versatus, ut sine ulla vanitate ei in hac parte vasta stupendaque tribui possit eruditio. In historiæ ecclesiasticæ peritia hoc fuit singulare, quod præsentem ecclesiæ statum sic perspexit, ut in abditos quoque ejus recessus acerrima sua perspicientia altissime penetrasse videretur. Ita omnia ex vero dicta esse adeo neminem fugiet, qui nostrum propius novit, ut potius questurus sit, minus, quam laudari potuerit, in eo fuisse laudatum: sed plura in lucem prolaturis obstitit animo repræsentata beati viri imago, talem valde averfantis gloriam. Eadem recordatio submississimi sensus, quo imbutus ille erat, nos hortatur, ut, ostenso aliqua ex parte thesauro, quem in mente habuit repositum, descripturi opes animi, in Christum vera vivaque fide transplantati, & hic modestiæ ejus rationem habeamus, Summatim potissima attingemus.

§. XV.

Eminuit in eo studium custodiendæ incontaminatæ veritatis, quæ fidei & sanctitatis fundamentum est; demississimusque, quin abjectissimus, ut ita dicamus, de se sensus;

ea

ea partæ per Christum justitiæ fitis, ut per omnem vitam, quantum ex ejus precibus, gemitibus, sermonibusque conjici poruit, studiosissime eam quærere potius, quam possidere visus sit, licet eam haberet; quotidiana mortis vitæque Christi communio; gratiæ retinendæ subsidiorum, imprimis precum & meditationis usus tam studiosus, ut dubitemus, an ad ullum aliud negotium, dum vixit, plus temporis adhibuerit; omnium virtutum christianarum exercitatio contentissima; sollicita prudentissimaque rerum circumstantium circumspectio, ad omnes actiones applicata; intractus ab amore divitiarum aliorumque hujus caducæ vitæ commodorum animus, cum quo conjuncta fuit summa in victu temperantia ac frugalitas, & promptissima ejus, quod sibi suæque familiæ ullo modo subtrahere poterat, erogatio in pauperes, maxime in egeniores theologiæ studiosos; pacis concordiaque retinendæ cura intentissima, sociam habens patientiam.

§. XVI.

His succinctus dotibus, virtutibusque, demandata sibi munera apud nos ita administravit, ut illæ in singulis hujus actibus clare spectarentur. Referemus tantum, quæ de prælectionibus ejus comperta habemus. Singularum materiam pluribus horis conquirit, conquistam sub precibus sapienter digessit, &

ut

ut theologus pragmaticus, ad animarum ecclesiaeque direxit salutem. Hoc sine quavis hora reliquis momentis ea admiscebat, quæ magnam vim habebant ad excutiendum securis veterum, & ad seruandum in excitis, confirmandum, augendumque ardorem pium. Quod cum faceret, divino ipse Spiritu tam inflammatus spectabatur, ut vel profanissima frigidissimaque pectora, ejus auditis admonitionibus & incitamentis, vultusque severitate, maestitiaque conspecta, moveri, perterreretur & incallescere oporteret. Illorum, quos ita Dei præuenit gratia, non pauci, relicta peccatorum servitute, liberati per Dei filium, in lucidum ejus regnum pervenere, & partim in præsentis doctoris hoc exemplum in sua quisque statione imitantur, partim ante ipsum cælum jam ingressi fuerunt. Deinde miserum ecclesiae statum, & litteratorum plerorumque vanitatem, fastum, religionisque contemptum, oculis auditorum quasi subiciebat, non illudendi consilio, sed ut hos contra contagionem muniret, vel ea jam vitiatos repurgaret. Porro ad gradus studiorum respexit, eaque, quæ ad rei summam pertinebant, dilucide exposuit: reliquorum, in quæ, relicta academia, curatius demum inquirere possent, ostendit tantum fontes, scriptoresque; in qua re sigillatim quoque pauperum, quibus curta erat suppellex, habuit rationem, monstrans
eis

eis ad rem propositam spectantia loca libellorum, qui parvo pretio comparari poterant.

XVII.

Hæc generatim de prælectionibus illis dicta sint; jam de iisdem speciatim nonnulla memorabimus. Quum ordinis theologiçi professores soliti sint, communi consilio designare prælectiones, hasque postea inter se partiri, nostro post communis exegeteos biblicæ tractationem, peculiari fini specialiter accommodandam, hæ partes theologiæ, antithetica, & ea, qua difficilioribus sacri muneris administrandi casibus lux adfertur, explanandæ commissæ sunt. Illius tractationem sic instituit, ut primum exegeticis prælectionibus, Novi præsertim Testamenti, animos ad hoc studium præpararet, fundamentum antitheticæ theologiæ vindicando ab inimicorum ejus objectionibus, enarrandoque propullulantes jam avo apostolico errores, & apostolorum remedia adversus illos usurpata. Deinde ad controversias recentiores progressus, adversariorum sententias ex symbolicis ipsorum scriptis, vel ex cujusque libris, si certi hominis refutandus esset error, in medium protulit. Antequam vero alia subjiceret, erroris communem fontem, in cujusque hominis animo latentem, aperuit; quod ideo facere videbatur, ut juvenes cautos modestosque redderet, & in ipsis misericordiam potius, quam dirum dissen-

diffidentium odium moveret. Modo universalem excussit antithesin, modo particulares controversias, & in his illas potissimum, a quibus ecclesiæ nostræ plurimum damni metuendum est. Quapropter eos inprimis, qui ex rerum natura omne Numen, vel patefactam religionem, vel religionum discrimina, vel sacrae scripturae auctoritatem sublatum eunt; item Socinianos atque Pontificios refellere aggressus est. Sicut autem ab exegerica theologiae parte suo penso lucem mutuari solebat, ita quoque subinde historiam ecclesiasticam cum illo contulit. Tum, quid antiquæ hæreses cum recentibus commune haberent, indicavit, & omnia recte dijudicandam ostendit: sed ne in hac malorum meditatione animi ad male de divina providentia suspicandum abriperentur, in quovis sæculo quasdam divinæ bonitatis reliquias, quasi ex tenebris erutas, in conspectum produxit, tuitusque est adversus pseudocriticorum irrisionem. Theologiae, circa graviores ministerii ecclesiastici casus versantis, institutio hæc fuit, ut, habito delectu, ex innumeris casibus maxime necessarios & utilitate præstantes sumferit illustrandos, dijudicandosque ex genuinis theologiae moralis rationibus, apostolici exempli vestigiis, libris symbolicis, & opere Speneriano. Interdum auditoribus quoque veni-

veniam dedit casus proponendi ; quod ultimis maxime annis factum est.

§. XVIII.

Consideratis prælectionibus, superest, ut publicatas ab ipso scriptiones recensamus. Sed pauci sunt, nec magnæ molis libri, tractatus & dissertationes, quas edidit ; ratus, quod, conjunctissimis collegis singulari industria simul suas hic agentibus partes, sibi liceat eo labore supersedere, & quod componendis libris impendendum esset tempus, eo accuratiori proponendarum in prælectionibus rerum inquisitioni tribuere. Typis scilicet exscribi curavit Concilii Tridentini dogmata, notis illustrata ac refutata ; defensionem doctrinæ evangelicæ adversus pontificios, inscriptam : "de qualitate fundamentorum, ex" quibus pontificii ipsis principibus persuadere "vulgo nituntur professionem fidei Tridenti-
"næ ; postulata simul ejuratione Lutherana, "quam vocant, sectæ : Elementa homiletica ; "tractatum theologicum de natura & gratia, "in materia de virtutibus, quo discrimen praxe-
"os philosophicæ & theologicæ in moralibus " & spiritualibus ex genuinis principiis evange-
"licis ostenditur : Germanice tractatum de redemptione, & epistolam, plane auream, de vera, viva atque efficaci fide, nec non refutationem criminosi libelli, de Pietistarum, quos finxerunt, turbis, Præterea vulgavit dissertationes

tationes de "harmonia fidei, quæ justificat, &
"fidei, quatenus justificare dicitur; de vera
" & falsa doctrina dignoscenda; de auctorita-
"te ecclesiæ, qua mater est; de ortu mali;
"de libertate christiana, de spiritu modera-
"tionis, de conversione Samaritanorum, de
"Patmo Lutheri; monita homiletica, e com-
"mentariis Francisci Lamberti, Avenionensis,
"de prophetia, collecta, &c. Nec hoc præ-
"tereundum, Illustrissimum Comitem, Guil-
"Ludov. Henckelium, prælectiones ejus in
"Salomonis Canticum, carmine germanico red-
"ditas, paucis abhinc annis in lucem emississe.
"Item, quæ ille ultimo vitæ decennio docuit,
"omnia a scribis, sumtu meritisssimorum Glau-
"chenfis orphanotrophei antistitum condu-
"ctis, excepta & ab illo recognita, solícite ad-
"servantur. Sunt autem potiora hæc: "Præ-
"lectiones harmonicæ in quatuor evangeli-
"stas, paraphrasticæ in evangelium Joannis,
"collegium exegeticum in historiam Passionis,
"aliud in verba septem Christi ultima, præ-
"lectiones in Acta apostolorum, in epistolam
"ad Hebræos, & in primam Joannis: non-
"nulli sermones populares; collegium in li-
"bros symbolicos, vindiciæ dictorum proban-
"tium; prælectiones antitheticæ, aliæ in con-
"cilium Tridentinum, duplex collegium in
"historiam Reformationis, collegium in hi-
"storiam sic dicti Pietismi, collegium itinera-
"rium

"rium de colloquiis religionis; XCIV. præ-
 "lectiones ultimæ in sermones Breithauptia-
 "nos, quorum titulus est: Sal terræ.

§. XIX.

Scriptorum horum, saltem præcipuo-
 rum, nisi tabulæ obstitisset angustia, finem,
 aliaque momenta singularia subiecissemus: at,
 ut intelligatur tamen usurpata in illis scriben-
 di ratio, publicatæ de vera & falsa doctrina
 dissertationis locum adscribemus, quo lata fal-
 forum doctorum via delineatur: "Cavent
 "aliqui summo studio, ne videantur ipsi in
 "via mundi lata decurrere. Ideo non absti-
 "nent modo ab iis, quæ, tanquam crassiora,
 "opinionem probitatis convellerent, sed etiam
 "sudore multo res quasdam stricte more suo
 "curant, anguntur & angunt. Queruntur
 "de turbatis rebus ecclesiæ usque ad lacrymas,
 "Habent etiam afflictiones suas atque angu-
 "stias. Imo cum dixisset JESUS, Luc. XIII.
 "de agone, quo intrandum sit per angustam
 "portam: addit: multi, dico vobis, quærent
 "intrare, sed non valebunt, v. 24. venient sal-
 "tem ad portam, sed ad perrumpendum vi-
 "res non habebunt. Dicent, cum cœperint
 "foris stare, & januam sibi occlusam cernere:
 "edimus coram te, & bibimus, & in plateis
 "nostris docuisti. Domine, aperi nobis. Non-
 "ne in nomine tuo prophetavimus, rite vo-
 "cati & ordinati docuimus, officia gessimus?
 "his

"his ipsis tamen dicetur : non novi vos - - -
"Quicquid asciscunt ejusmodi viatores larva
"est viæ strictæ, & humanæ rationis consilium,
"non radix divina. Natura, non gratia. Sunt
"angustiæ partim speculativæ, partim electi-
"tiæ, partim etiam coactæ. Quicquid simu-
"lent, dissimulentue, nolunt plane concludi
"sub paupertatem in spiritu - - - cor ipso-
"rum, plusquam crediderint, intus tumet opi-
"nione cultus, ecclesiæ atque operum - - -
"Quid ergo mirum, si apud hos non est τὸ
"ἰσχύειν, quantumcunque laborent ex carne,
"& ex causis, ad φιλαυτίαν redeuntibus? - - -
"nolunt certe ad portam CHRISTI cruci-
"fixi omnibus suis renunciare; nolunt
"adeo pure in angustum cogi, vel toti eva-
"cuari, & sic pressæ constringi - - - Væ au-
"tem vobis, scribæ & Pharisei, hypocritæ,
"eo quod clauditis regnum cælorum coram
"hominibus, quantum in vobis est. Ipsi enim
"vos non introitis : nec introeuntes alios in-
"troire finitis - - - Hoc signo manifesta fiunt
"interiora hominum, quia viam Christianismi
"seriam vocant hæresin, maximoque eam odio
"averfantur, viri vel honestissimi & ἀκριβεστατοι;
"filios autem mundi ferunt libentius. Act.
"XXIV. 14. - - - Tunc finem habet simi-
"litudo & humanitas : tunc cognoscitur, quod
"intus sint lupi rapaces : sint hostes crucis
"Christi. Ex his fructibus istorum propriis
C 2 "cogno-

"cognoscunt ipsos ii, qui ex ipsa praxi bene
 "norunt, quæ sit porta veritatis, ut destrua-
 "tur regnum peccati, & restauretur justitia. - -
 "Quodsi enim isti viam veram colerent: an-
 "gustam portam non redderent aliis suspe-
 "ctam - - - non foverent intus acerbiter
 "(quæ in collisione utriusque non potest non
 "prorumpere) adversus theologiam hanc,
 "quam vocant viatorum. Non collidi vellent
 "ad hanc portam - - ad angiportum hunc - -
 "non sudes ipsis esset in oculis præliminaris
 "hæc doctrina de ingressu per viam strictam;
 "nec etiam dicta illa Christi, Matth. XVI.
 "24. Luc. IX, 22. & similia, inanibus glossis
 "eneruarent, vel levissime præterfilirent, aut
 "quæ bene forsitan texere cœpisse visi sunt in-
 "terdum, subaddito statim alio episagmate,
 "ipsi retexerent. Ac nisi istis via mundi *ἐὐχέλων*
 "eos magis, quam *ἡ σέπη* arrideret: *σενοχωστὸν*
 "omnem adeo non fugerent & abhorrerent,
 "nec alios fugere eam juberent, tanquam de-
 "sperationis barathrum & carnificinam con-
 "scientiarum. Quippe quod in hac porta
 "evangelium contritis præsto est, imo præve-
 "nit ingressuros divinissimis solatiis, & pro-
 "gredientes, in ipso confragoso itinere, mire
 "lætificat. (*)

§. XX.

(*) Pag. 14. / sqq.

§. XX.

Tantum de vita meritissimi theologi hujus, inter nos acta, cujus testes fuimus. Jam de clausula ejus, quam marasmus senilis septuagenario attulit, hæc addimus: illa appropinquante, ipsum & in componendo suo ad abitum animo, & in ultima salutis auditorum adhibenda cura usque ad extremum spiritum naviter esse versatum. Animi sui ad novum statum præparandi causa, imprimis diligentissimam certorum locorum biblicorum & canticorum ecclesiasticorum, quibus de morte agitur, meditationem instituere visus est. Auditoribus vero, prædicta sapius futuri discessus sui propinquitatem, eas magno cum pondere inculcavit veritates, quæ in supra memorato libro Breithauptiano, Sal terræ dicto, positæ sunt, sæpe hunc suum ostendens finem: quoad fieri posset, se, antequam ex hac vita abiret, auditorum mentes sale hoc quasi conditurum, atque muniturum adversus corruptionem. (*)

(*) *In prima editione hæc subjuncta erant:*
Plura enarrare non patitur instituti ratio; quæ autem, nec non alia, ad piam utilemque vitæ Antonianæ considerationem pertinentia, uberius exponuntur in sermonibus funebribus, quorum alterum Venerabilis Abbas, Breithauptius,

us, hora IX. matutina hujus diei, in
 æde scholastica, alterum collega beati
 viri nuper conjunctissimus, & facun-
 dissimus, Franckius, a meridie habitu-
 rus est in æde Glauchensi, cuius ille
 fuit antistes, & prope quam humatus
 est, ac ubi, quod ipse placide prædixit,
 ei placidissime erit: ad quos sermones
 pie audiendos vos, omnium ordinum
 florentissimi juvenes, humanissime in-
 vitamus. Halæ Magdeburgicæ P. P.
 ipso exsequiarum die, qui Octobris xxix.
 est, anno cto 13 cc xxx,





Appendix.

Spenerus in Confiliorum suorum Latino-
rum Part. III. pag. 791.

A B Academia Halensi, quod imprimis (ad)
theologiam attinet, plurimum - - (huc-
usque) mihi per gratiam caelestem pro-
miss, (scilicet,) fore ut non ibi tantum plures
subinde Praceptorum fideli opera ad ἐπιγνώσιν
αὐτῆς θεοῦ τῆς κατ' εὐσεβείαν feliciter perducantur,
sed alia etiam scholae, benedictione hac
divina excitata, exemplum imitentur, adeoque
paulatim id fiat, quod fieri omnibus opto mo-
dis, ut nimirum theologia, scholasticis tritis
passim reddita aridior & sterilior, pristinam
succosam speciem iterum induat, juvenusque,
non tam ad diffusam ac pompaticam, sed soli-
dam eruditionem sacram perducta, nihil in
spem futurae oblivionis, sed omnia in usum sa-
lutarem discat. Nec spes hac mea, quantum
intra paucos annos fieri potuit, me - - (huc-
usque) destituit, sed eos venerandorum viro-
rum, strenue . . (in labores pios) incumbenti-
um,

um, fructus divina gratia - - (hucusque) le-
 tus conspexi, ex quibus in posterum etiam, si
 eodem pergatur tramite, longe plura expectan-
 da sunt, imo ecclesiae nostrae de seminario fa-
 cundo ministrorum fidelium, praeter plerisque ali-
 is, gratulandum credo. - - Iunxit te divina
 providentia propitia, saltem in collegio pro-
 fessorio, viris talibus, ob quos facile istius
 careas amicitia, & quorum, cum non, quae sua
 sunt, sed quae Domini, quaerant, amorem & con-
 fidenciam - - (intimam) non alio certiori - -
 (modo) tibi conciliabis, quam eadem ince-
 dens via, tuaeque commissos fidei ita ducens,
 ut abusus philosophiae a vero usu, & a profu-
 turis inutilia segregentur, reque ipsa experi-
 antur auditores, sola sua quaeri commoda, non
 propriam gloriam, ac ita exemplo etiam di-
 scant, cum - - (ad studia) incumbant, quo
 quisque potest modo diligentissime, atque eru-
 ditionis mensuram non mediocrem im-
 pleant, omnem tamen ostentationem
 & αὐταρχείαν procul habere,
 imo abominari.

*) o (*
 *

65 H 8

